

7.

1273. Juni 22. Urtheilsspruch des Patriarchen von Jerusalem in der Streitsache des Deutschen Ordens mit dem Bischof von Hebron über ein Haus in Accon.

(U)niversis presentes litteras inspecturis frater Thomas de ordine predicatorum, permissione divina sacrosancte Jerosolimitane ecclesie patriarcha, minister humilis ecclesie Acconensis et apostolice sedis legatus, salutem in eo, qui pro salute humani generis dignatus est misericorditer Jerosolimis crucifigi. Cum olim inter syndicum Alamannorum pro ipsa domo Alamannorum et syndicum seu procuratorem ecclesie Hebronensis coram venerabili viro domino Guidone archiepiscopo Nazareno iudice delegato a bone memorie olim G. predecessore nostro patriarcha Jerosolimitano, apostolice sedis legato, super quadam domo posita in civitate Accon in loco, ubi dicitur Mommusardo, et positione eiusdem cum hiis finibus, qui in Alamannorum petitione et actis scripta plenius continetur, questio verteretur et oppositum fuerit per procuratorem seu syndicum episcopi et ecclesie Hebronensis contra procuratorem et domum Alamannorum et ipsos Alamannos coram archiepiscopo supradicto, quod dictus syndicus pro Alamannis non poterat agere neque petere, cum ipsi Alamanni, videlicet magister, maior preceptor et thesaurarius essent excommunicationis vinculo innodati per ipsum procuratorem ecclesie Hebronensis dicendo se fuisse iudicem delegatum in quadam causa inter dominum Johannem de Accone advocatum et dominum Guilielmum de Anigdelea, et super hoc induxerit dictus procurator ecclesie Hebronensis duo paria litterarum sigillatarum suo sigillo, quarum litterarum unum par erat amonitorium, secundum erat sententie excommunicationis et propter absentiam prefati archiepiscopi, quia ivit ad ultramarinas partes, prefata questio Alamannorum ad nos redierit et iterum coram nostro officiali fuerit opposita dicta exceptio excommunicationis et pro parte Alamannorum nobis fuerit supplicatum, ut super dicta exceptione deberemus pronuntiare, quod esset consonum rationi et ad nos spectaret etiam sine alicuius oppositione vel requisitione videre, utrum aliquis potestatem legitimam habeat standi in iudicio et maxime super exceptione excommunicationis, visis et intellectis de meritis dicte exceptionis et visis dictis litteris tam amonitoriis quam excommunicationis habitoque super hiis diligenti tractatu et deliberatione et habito consilio sapientum virorum pronuntians dictas litteras amonitorias et excommunicationis contra Alamannos nullius esse virtutis et efficacie et prefatos Alamannos, videlicet magistrum, maiorem preceptorem et thesaurarium et ipsam domum Alamannorum et alios nominatos, si qui sunt, ex tali sententia non ligatos et quod non obstanti tali exceptione excommunicationis debeat procedi in causa predicta, que vertitur inter domum Alamannorum et episcopum et ecclesiam Hebron., maxime cum dicte littere non repperiantur in actis predictae cause inter dominos